





1771 65. 53  
EXERCITATIO IVRIDICA  
QVAESTIONEM CONTINENS

*Vtrum foemina quae  
intercessionem promisit, ad fideiubendum  
valide adigi queat.* 23

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE  
IN PROVIN CIA SVPREMAE IVDIC. LVSTAT. INFERIOR,  
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET  
ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXX. AVG. MDCCLXXI.

DEFENDET

IOANNES LVDOVICVS VLRICI

D R E S D E N S I S.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA



V I R O  
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO CONSVLTISSIMO  
AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO

D O M I N O  
ALBINO ERNESTO VLRICI  
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
SAXONIAE CONSILIARIVS CAMERAE, ET  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI  
CELEBRIMO

PATRI SVO INDVLGENTISSIMO

D. D. D.



VLLQ  
HABITATIS HUBERTI ERNESTI COMITIS  
HABITATIS HUBERTI ERNESTI COMITIS  
D O M I N O  
ALBINO ERNESTO VLRICI  
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
SACROSANCTAE ROMANAE CAESARIS ET  
HABITATIS HUBERTI ERNESTI COMITIS  
CLERICO

PATRI SVO INDVLGENTISSIMO

d. d. d.



**P**ietas in TE Pater indulgentissime  
semper in me tanta fuit, ut eam  
TIBI declarare, simulque ostendere quanta TE,  
prosequar veneratione, et quantopere TE diligam,  
si occasio contingat, maximo semper voluptatis affe-  
ctu perfundas. Quum igitur in praesentiarum,  
Studiorum rationes reddituro ea mihi obuenerit  
TIBI hunc libellum qualiscunque sit inscribere non  
amplius dubitavi. Quod eum benigne accipias, si  
quod humanissimis precibus a TE contendo felicitati

meae

*meae cumulum veluti accessisse, arbitror. Cete-  
rum opto, ut cui Matre dilectissima omni fortuna-  
rum genere affluens, sospes quam diutissime viuas, et  
semper faueas.*

ILLVSTRIS NOMINIS TVI

obseruantissimo et obedientissimo  
filio

IOANNI LVDOVICO VLRICL





§. I.

**P**actum moribus nostris producere actionem omni caret dubio, dummodo considerare velis, differentiam inter stipulationem et pacta penitus cessare, et subtilitatem verborum, quibus Romani formulis solemnibus adstricti, efficaciam tribuebant, esse sublatam. Exinde fit, vt pacta nuda, quae iure antiquo tantum exceptionem producebant, iure nostro et ad agendum sint comparata, si contineant interesse, ad cuius praestationem reus cum effectu adigi potest.

A 2

Sequi.



Sequimur hac in parte aequitatem Praetoris, qui cum *l. 1. pr. ff. de constit. pecun.* optime perpenderet, turpe esse fidem fallere, saepiuscule pacta et conventiones, quae iure strictè sic dicto inefficaces erant, conseruabat, et sua auctoritate ipsis pondus tribuebat.

§. II.

Sed cum in omni obligatione potissimum ad id respiciendum, vt personae sint habiles, et obiectum dispositioni contrahentium relictum, saepiuscule euenire solet, vt obligationes, quibus alias omnem tribuimus efficaciam, dicamus irritas, aut ex parte claudicantes, quod exempla minorum intuitu contractuum bilateralium, filiorum familias respectu mutui, et foeminarum intuitu fideiussionis probant. Non tamen negamus, haec negotia interdum quoque obligationem producere, si concurrant circumstantiae, quae, ne ab aequitate, quae iuxta *l. 90. ff. de Reg. Iur.* in omnibus quidem, praesertim tamen in iure est spectanda, recedamus, assistentiam iudicis suadent.

§. III.



## §. III.

Quae cum ita sint, praesentem casum, quod scribendi materiam suppeditat, proponere liceat. Caius ex mutuo conuenit Paulum, et ut ad foluendum adigatur, petit. Debitoris vxor, ut ad indulgendum commoueat creditorem, cum consensu curatoris intercessionem pro marito promittit; quo facto creditor modum procedendi suspendit, et a iure persequendi desistit. At foemina fidem datam implere recusat, quapropter creditor eandem ex pacto conuenit, et ut intercessionem eo modo, quem leges desiderant, suscipiat, vrget. Vtrum actio cum effectu institui possit, vel actori exceptio iuris deficientis obstet, quaestio mouetur.

## §. IV.

In dubio equidem foeminas cum masculis eodem iure censi testatur Ictus *l. 1. ff. de verb. sign.* hinc et *l. 4. C. de libr. praeterit.* vtriusque sexus eandem conditionem esse voluit Imperator. Imo ex contractu legitimo modo celebrato regulariter foemina se obligatam reddit, nec sexus differentia hac in parte praerogatiuam promeretur.

A 3

Hac



Hac ex causa, cum masculus ex pacto ad implendum promissum cogi queat, cur intuitu foeminae exceptionem a regula statuamus, aliquis forsan dubitare posset. Ast facili negotio remouere possumus dubium, nec efficit, vt affirmatiuam in decidendo sequamur sententiam, lex enim 4 ab initio allegata differit tantum de iure succedendi, quod testantur verba, *cum ab intestato ius simile utriusque sexui seruauerint*. In his, quoniam obuerfatur fauor, aequalem conditionem liberorum, ne filiae a successione parentum excludantur, eorumque status fiat deterior, esse iubet lex, exinde vero non sequitur, quod in omnibus iura masculorum cum foeminis concurrant, cum grauitas negotii quod agimus saepiuscule discrimen sexus desideret.

§. V.

Patrocinium sententiae adfirmatiuae praestare videtur *l. 22. ff. ad SCtum Vellej. si mulieri ait Paulus dederim pecuniam, vt eam creditori meo soluat, vel expromittat, si ea expromiserit, locum non esse Scto Pomponius scribit*. Probat in hac lege ICTus expromissionem, quam foemina ex pacto promisit, et negat SCtum Velleianum id efficere ne obligatio ex pacto valeat. Cum igitur foemina



mina expromissionem factam, infirmare non valeat, quamvis beneficium Velleianum obligationem pro alio susceptam penitus prohibeat, et non solum exceptionem, sed actionem quoque foeminae tribuat, valebit non immerito argumentum, foeminam ad implendam promissionem, quae intercessionem continet, a creditore cum assistentia legis adigi posse, praefertim, si consideres, vnumquemlibet ad negotium quod si semel suscepit, reuocare non potest, ex praecedente promissione, maiori cum efficacia posse compelli.

§. VI.

Sed merito dubitamus, vtrum ex hac lege decisio rei adaequata et conueniens profluat. Singularis enim est casus quem ICTus proponit, et ratio decidendi generalem decisionem haud efficit. Non simpliciter ex intercessione obligatam animaduertis Foeminam, sed circumstantia, quoniam nempe eadem pecuniam, cuius causa expromittebat, accepit, efficaciam suppeditat. Hinc ICTus vtitur ratione, *quia mandati actione obligata in rem suam videtur obligari.* Versio itaque in rem, quae eo ipso, dum pecuniam acceptam foemina profitetur, nullid isceptationi est obnoxia, efficit, quo minus  
exce-



exceptatio Seti Vellegani creditori agenti obstat, cum mulier ex ista intercessione neque fiat pauperior, neque etiam decepta inueniatur, sed potius de lucro agat, eo ipso quod bonam fidem ratione suscepti mandati non agnoscens, recusat soluere id, quod tamen tanquam non debitum accepit.

§. VII.

Aliud adminiculum suppeditare videtur Ius Saxonicum secundum quod in mandato regio d. d. 18. Nou. 1722. expressis verbis, *dass hinführo denen ledigen Weibs-Personen, welche ihre mündige Jahre erreicht, auch aufer dem Fall, wenn sie etwas verschenken, oder Handlung treiben, nachgelassen seyn soll, ihres Fabrnißes halber, worunter jedoch die gesammte Gerade nicht zu verstehen, sich ohne Curatore verbindlich zu machen, und damit nach Gefallen zu gebahren dispositum legitimus.* Distinguedum itaque ex hac lege est, inter foeminas maritatas et solutas. Illae a dispositione libera bonorum penitus excluduntur, ne marito administratio et vsusfructus auferatur, hae vero pro lubitu facultate agendi circa bona mobilia, excepta vniuersa gerada, quippe quae immobilibus equiparari solet, gaudent. Cum itaque eiusmodi personis sine  
con-

✻   ✻   ✻

consensu curatoris, quo tamen alias carere non possunt, concessa sit licentia de bonis mobilibus quocunque modo velint, quod indicant verba *nach Gefallen* disponendi, et obligationem contrahendi, nec excipiat lex fideiussionem, quod tamen si restringere voluisset legislator, vti de gerada factum est, expresse addidisset; valebit forsan sententia, foeminas solutas, vi pacti ad suscipiendam intercessionem adigi posse.

§. IIX.

Sed et id parum efficit, multominus argumentum probationis suppeditat. Legislator etenim liberam disponendi facultatem foeminae solutae concedens, de negotiis a quibus eadem legibus non excluditur, agit, cum quaelibet dispositio praesuppositis terminis habilibus sit intelligenda. Constat vero inter omnes, foeminis etiam iure Saxonico vetitam esse fideiussionem, eamque valore penitus carere, nisi renuntiatio eo modo, quem leges desiderant sit facta. Cum itaque in mandato regio fideiussionis nulla fiat mentio, liquido constat, legislatorem in concedenda libera facultate, de eadem non cogitasse, sed potius, vt legem Saxoniarum auctoritas hac in parte valeat, voluisse.

§. IX.

Quibus praemissis, potiori iure adfirmamus foeminam non obstante promissione, ad fideiubendum minime cogi posse, quod ex sequentibus probamus.

B

Omne



Omne pactum, quod effectum praestare debet, ita comparatum sit necesse est, vt legibus non repugnet. Conuentiones etenim, quae neque dolo malo, neque aduersus leges, neque plebiscita, senatus Consulta, Edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, pro validis agnoscit Praetor l. 6. §. 7. de Pact. Consideres vero fideiussionem foeminarum, eam penitus repugnare legibus inuenies. Scimus etenim, Sctum Velleianum, prohibuisse foeminis intercessionem, et cum hoc quidem effectu vt etiam illisue sint solutae, sine maritalatae competat potestas, id, quod ex fideiussione soluerunt, a creditore conditione indebiti repetendi. Ait enim Marcianus l. 40. pr. ff. de condiç. indeb. *Qui exceptionem perpetuam habet solutum per errorem repetere potest. Sed hoc non est perpetuum nam si quidem eius causa exceptio datur cum quo agitur solutum repetere potest, quod accedit in IConsulde intercessionibus.* Hoc tamen singulare esse nemo in dubium vocabit dummodo perpendere velit conditionem indebiti tantum in casu si indebitum naturale concurrat habere locum, cessare vero si indebitum ciuile obueniatur. Cum igitur fideiussio foemini penitus sit interdicta et pro nulla declarata quomodo quaeso pactum de incunda intercessione effectum producere potest, cum negotium circa quod celebramus conuentionem repugnet legibus.

§. X.



## §. X.

Optime hac ex causa agit foemina, quae creditori exceptionem deficientis iuris agendi opponit, cuius, cum in continenti sit liquida et naturam litis ingressum impediens consequatur, is est effectus, ut actori praecludatur via ulterius causam persequendi et absolutionem a tota instantia cum refusione expensarum operetur. Cum enim creditor gnarus debeat esse conditionis eius cum quo contrahit merito creditori est imputandum cur cum foemina, quam leges a fideiussione excludunt et obligationem exinde prouenientem dissoluunt, negotium celebrauit.

## §. XI.


Praestat huius rei argumentum *l. 48. pr. ff. de fideiussor.* Ait Papinianus *Si Titius et Seja pro Maenio fideiusserint, subducta muliere, dabimus in solidum actionem contra Titium: cum scire potuerit, aut ignorare non debuerit, mulierem frustra intercedere.* Differit equidem haec lex tantum de confideiussore, eundemque in solidum stringit, de creditore vero ipso nihil disponit; Ast hoc parum efficit, ratio etenim adiecta ita est comparata, ut ob generalitatem ad creditorem quoque applicari queat; quod regulis artis hermeneuticae, circa extensionem legis optime conuenit. Nec valet opinio doctorum; regulam propositam obtinere in eo casu, quando maritus et vxor fi-



deiuſſionem receperunt; hoc enim in lege non eſt conſtitutum, ſed generaliter agit de maſculo cum foemina concurrente, quapropter cum citra intentionem legis nulla valeat interpretatio, haec reſtrictio a verbis pariter quae mente Icti recedens eſt fruſtranea.

§. XII.

Obſtare equidem videtur, quod ex voluntate foeminae dependeat, vtrum beneficio ſibi competenti renunciare velit, quo facto, non prouocat ad exceptionem cum contra ſemel renunciata minime detur regressus. Quod ſi itaque foemina tali modo ſe valide obligate poſſit, vt ea-tenus efficaciam producat interceſſio, iuri et aequitati conueniens videtur ſententia valere pactum quo fideiuſſionem promittit foemina, cuius fauorem SCtum Velleianum reſpicit. Aſt ingens eſt diſcrimen inter fideiuſſionem accedente renuntiatione conſummatam et inter promiſſionem deneunda fideiuſſione. In priori caſu renunciatio legitime facta efficaciam iuris aſſiſtentia tribuit interceſſioni, a qua foemina cum leges obligationem probent recedere haud poteſt. In poſteriori vero caſu fideiuſſio adhuc eſt inefficax, cum deficiat formale quod creditori ius agendi largitur qua propter foemina ob deficiens obligationis vinculum ad implendum promiſſum adigi nequit.



Leipzig, Diss., 1771 Lz







1774 65. 53  
EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM CONTINENS

*Vtrum foemina quae  
intercessionem promisit, ad fideiubendum  
valide adigi queat.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSAT. INFERIOR,  
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET  
ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXX. AVG. MDCCLXXI.

DEFENDET

IOANNES LVDOVICVS VLRICI

D R E S D E N S I S.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

